Annexe 1 :

WILLIAM HARRISON (dir.), Informatio de Jesuitissis, 1621, mémorandum (copie), Archivio di Propaganda Fide (APF) Vatican, *Scritture generali riferite nelle Congregazioni generali* (SOCG), vol. 205, fol. 436r-440v.

Informatio
~~Copia Informationis~~ de Iesuitissis ad Apostolicam Sedem per R.mum D.num Gulielmum Harisonum Archipresbyterum Angliæ nuper defunctum, et ab Assistentibus post eius mortem subscripta.

Cum fides catholica hactenus per orbem terrarum non aliter quam per Apostolicos viros virtute et constantia probatos propagata fuerit; emersit tamen nuper e gente nostra quædam societas fœminarum institutione (ut præ se fert) Religiosa, quæ Angliæ conversioni haud secus incumbere profitetur, atque ipsi sacerdotes Apostolica authoritate huc in eum finem destinati. Cuius instituti primordia ut nova atque orbi christiano prius inaudita cum multorum sibilis excepta fuissent, usque adeo, ut sapientissimi quique existimaverint tam inanes mulierecularum cogitationes nulla publica auctoritate suffultas quamprimum in nihilum abituras, eo tamen progressus fecit a paucissimis annis, ut illius Alumnæ magno numero in Angliam confluxerint. Quo fit ut cum officij mei ratio exigat, non tantum ne quid in Clero peccetur, providere, sed et ne catholica Religio aliunde detrimentum patiatur, prospicere, necessarium duxi de re tanti momenti qualis hæc merito videri debet, Apostolicam Sedem certiorem reddere.

Mulieres istæ, quæ se Angliæ conversioni immiscere, et negotium omnium difficillimum aggredi, atque attentare non verentur, communi vocabulo nuncupantur Iesuitissæ, quia iuxta regulam atque institutum Patrum Iesuitarum, et sub eorum regimine, ac disciplina degunt: quamvis nonnulli in opprobrium tam incongrui Instituti multas alias ridiculas appellationes seu nomina eisdem affingant. Institutum hoc initium cœpit a muliere Maria Vuarda, quæ prius vitam Monasticam sub habitu et professione Monialium S. Claræ meditabatur, inter quas ad probationem admissa ad paucos tantummodo menses ibi constitit, sed mutato habitu

ad seculum rediit, et cupide ad novum ordinem Religiosarum excogitandum
304v animum intendebat. Ita adolescentulas complures sibi adsciscens Colle-
gium instituit, in quo omnia ad imitationem atque normam Patrum
Societatis Jesu ordinavit. Alumnas primum per biennalis probationis no-
vitiatum exercendo, deinde easdem admittendo ad tria vota simplicia
more Societatis emittenda, tum vero singulas litteris latinis informando
ad exhortationes publice habendas, sermones cum externis saepissime miscen-
dos, familias administrandas, aliaque id genus educando, denique
probatiores ad Missionem Anglicanam, in qua earum instituti finis
positus videtur, praeparando, adornandoque. Hoc est (quantum intelli-
gere potui) illius Religiosae societatis oeconomia, quae si intra suas
cellas, propriosque parietes se contineret ad instar ceterarum Religio-
sarum familiarum, laudem fortasse plurimam mereretur. cum
vero Apostolicae functionis munia profiteatur, huc atque illuc libere cur-
sitetur, habitum quemcumque pro voluntate commutet, secularium moribus
et conditioni se accomodet, alienarum familiarum administrationes obeat,
nihil denique non agat praetextu charitatis in proximum exercen-
dae, et tamen inter Religiosas familias recenseri velit, et pro tali
ubique se venditet, certe multorum piorum censuris, et contradictionibus
exponitur. Praesertim cum sibi plane persuadeant considerantes Summorum
Pontificum cum ante, tum post Concilium Trid.num decreta, et grassantibus
in orbe christiano haeresibus huiusmodi institutum Apostolicae Sedi neutiquam
comprobari posse. Ego sane arbitror et una mecum assistentes maxime
quod dicam de Successoribus nostris in genere de Regularibus et catholicis
fere omnibus, tam intra quam extra Angliam considerantibus, ipsarum
Jesuitissarum posterarum Institutum fel. rec. Paulo V.to (sub cuius
Pontificatu coepit) ne quidem unquam innotuisse, aut certe si innotuerit
ob plurima quae inde proventura erant Eccl.ae cath.cae incommoda
nunquam fuisse ab eodem approbatum. Ad quod quidem credendum Ing.tes

rones

rationes permovent.

1.o Quia nunquam auditum est in Ecc.a Dei, ut mulieres, eaeque adolescentulae
(quales istae sunt) Apostolicum munus obirent, cum sexus ille mollis, fle-
xibilis, lubricus, inconstans, erroneus, novitates semper affectans, et mille
periculis obnoxius non tantum a SS. Ecclesiae Patribus, sed ab ipsis
etiam Ethnicis scriptoribus passim acclametur. Hinc illud Apostoli
decretum iubens iuniores viduas in Collegium viduarum non admit-
tendas, propterea quod saepe usu venire soleat ut postquam [illegible]
Christi contumelia lascivire coeperint nubere ad extremum velint
habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Et sane
si uspiam alibi hic certe ubi haeresis mores, animosque omnium cor-
rupit, mulieres libere circumcursantes, et cum viris ipsis solutioris
vitae ac morum privatim saepe agentes maximis periculis expo-
sitae censebuntur.

2.o Quia tale Institutum videtur directe adversari sacr. Concil. Trid.ni
decretis, et Summorum Pontificum tum ante, tum post Concilium Trid.num
constitutionibus. Inprimis namque Synodus Tridentina sess. 25. c. 5. de
Regularib. decernens ut Moniales omnes strictam clausuram ser-
vent, et ubi ea clausura violata fuerat ab Episcopis diligenter
restituatur, merito censenda est providisse, ne ullae mulieres Re-
ligiosam vitam profitentes in Ecclesia Dei permitterentur quae
in strictam clausuram non viverent. Ita enim decretum illud intel-
ligere videntur Ill.mi D.ni Cardinales Concilii Tridentini Interpretes,
dum in declarationibus ad praedictum cap. 5. de Regul. docent Mo- & Congreg.ni
nialibus solemnem emittere professionem, vel optantibus extra
clausuram vivere omnino interdictum fuisse, et prohibitum penitus
ut in futurum nullam aliam prorsus in suum ordinem Congreg.nes
reciperent. Praeterea Pius V.s in Bulla quae incipit: Circa
Pastoralis officii. edita 4. cal. Junii ann. 1566. decrevit univer-

ios. et singulas Moniales presentes atq futuras cuiuscumque re-
ligionis, vel ordinis essent, quae vel tunc receptae forent vel impos-
terum in quibusuis Monasterijs siue domibus reciperentur et taciti
vel expresse Religionem professae, etiamsi conuersae aut quouis
nomine appellarentur, etiamsi ex institutis aut fundationibus suis
regula ad clausuram non tenerentur sub perpetua in suis Mo-
nasterijs, seu domibus de cetero debere permanere clausura. Quae
constitutio, ut patet, obligat omnes Moniales cuiuscumq demum ordinis
seu conditionis ac fuerint. Unde Pius V.us in eadem constitutione san-
cit, ut Moniales Tertiariae, quae tria vota substantialia solemni-
ter non emiserunt ab Ordinario earumque superioribus inducendae
essent, ut profiterentur, expresse professionem clausurae se submitterent: re-
cusantibus autem sua vota solemniter emittere, et volentibus viuere sine
professione, et clausura, prohibet ne in futurum ullam aliam personam
in suum ordinem, Religionem aut Congregationem recipiant. Sub
qua quidem Pij V. constitutione Congregatio Ill.morum Cardinalium
Concilij Tridentini Interpretum censuit comprehendi Religiosam quandam
domum de S. Augusta Vicetiae nuncupatam, quae castitatis simplex votum
emittunt: non autem votum clausurae, et obedientiae. Quapropter si Je-
suitissae nostrates excipiant dicentes se quamuis Religiosas simpliciter
tamen et absolute non esse Moniales, neq ad clausuram obligari ex voto
seu ex aliqua sua Regula praescripto. Nihilominus cum tam sedulo atque
expresse cautum sit per Ecclesiam, ne quae Religiosae familiae mulierum
permittantur, quae nolint se submittere clausurae, merito nisi videtur
Sedem Apostolicam eas nequaquam velle permittere. Huc etiam facit
Constitutio Bonifacij VIII quae incipit. Periculoso et habetur c.
periculoso de statu regul. in 6. itemq alia Bulla Pij V.ti quae
incipit. Decori, et honestati, et Bulla Gregorij XIII quae incipit
Deo sacris data 4 Cal. Januarij 1572.

3.o

3.o Praefatae mulieres praesumunt, atq authoritatem sibi arrogant coram
viris grauibus, atq etiam quandoq praesentibus sacerdotibus loquendi
de rebus spiritualibus, et exhortationes habendi in Conuentu Catholicorum
et id genus Ecc.ca munia usurpandi, ut [illegible].
Quam vero istud indecorum sit, et in Republica Christiana insolens,
[illegible] facile erit intelligere, cum constet mulieribus iure diuino
et naturali omne docendi munus interdictum esse. Clarum est
quod docet Apostolus ad Corinthios scribens dum ait: Mulieres 1. Cor. 14.
in Ecclesijs taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas
esse sicut et lex dicit. et infra: Turpe est mulierem loqui in
Ecclesia. Quod quidem ad tantam Iudaicam (ut quemadmodum S.
Chrysostomus in eum locum disserens monet) impotentiam loquendi
libertatem amputandam, quae magnae perturbationis Ecc.ae causa
Corinthi fuit, necessarium ab Apostolo sanciendum erat. Quod item 1
in causa extitit ut idem Apostolus interrogatus quae ad Timotheum 1. Timoth. 2.
scribens de mulierum honestate tradit dicat: Docere mulieri non
permitto. Rationem subdit: Adam non est seductus, mulier autem
seducta in praeuaricatione fuit. Unde Apostolicis decretis insis-
tentes Patres Concilij Carthaginensis quarti ad omnes errorum
et impiae temeritatis ex hac parte occasiones praecidendas legem
in haec verba tulerunt: Mulier quamuis docta et sancta viros in
Conuentu docere non praesumat. Quorum Patrum decretum in
corpus Juris Canonici non uno in loco legitur a Gratiano rela-
tum. Quod si quis dicat, recte quidem hinc probari Ecclesiam ipsi
de causis mulieribus hanc potestatem ordinario non concessisse
inde tamen non confici quin in casu necessitatis seu persecutio-
nis ubi Sacerdotibus ad Catholicos tam liber aditus non pateret
sine periculo, licitum eisdem esse tam pium opus obire. Respondeo nun-
quam assignari posse casum maioris necessitatis, quam in ipsimet

Concil. Carthag. 4. c. 99. et habetur dist. 23 c. mulier et versum c. mulier de consecr. dist. 4. Vide et 33. q. 5. c. mulieres et S. Tho. 2. 2. q. 177. a. 2.

perstetit â sua incunabulis; et tamen iisdem temporibus loquens S. Clemens Romanus lib. 3. const. Apost. cap. 6. ait Christum Dominum cum duodecim Apostolis ad docendum populum et gentes convertendas misit, nequaquam tamen mulieribus, nec quidem matri suae praedicationis ministerium commisit. Ipsius verba sunt: Non permittimus mulieres in Ecclesia docere, sed tantum orare, et magistros audire. Nam magister ipse, et Dominus Jesus Christus cum nos duodecim ad docendum populum, gentesque misisset, nunquam mulieres misit ad praedicationem quamquam non deessent. Erat enim nobiscum mater Domini, et sorores eius, praeterea Maria Magdalena, et Maria Jacobi, et Martha et Maria sorores Lazari, et Salome, et quaedam aliae. Nam si decens fuisset mulieres docere, ipse primus eis quoque praecepisset, ut una nobiscum populum instituerent. Haec et plura Clemens Romanus. Possent hic etiam commemorari quae in eandem sententiam scribunt Tertullianus, Hieronymus, et alij ex Sanctis PP. nisi id in argumento tam claro supervacaneum videretur.

4.o Merito timendum est, ne laxatis in hunc modum habenis mulieribus istis in varios pedetentim errores ex defectu sani, et solidi iudicij prorumpant et falsorum dogmatum seminatrices reperiantur in plebecula. Produnt namque historiae Ecclesiae ad bonorum ruinam magna saepenumero daemonis instrumenta factas fuisse mulieres speciem quidem religionis et sanctitatis ab initio prae se ferentes, postea tamen haereseos et impietatis administras, quarum nonnullarum catalogum multis ab hinc saeculis a S. Hieronymo contextum

reperies

reperies in epist. ad Ctesiphontem. Praeterea notum est quantum negotium Ecclesiae catholicae facesserint Beguinae mulieres quidem monasticam vitam, et sanctitatem profitentes: sed cum pro lubitu inserviret saecularium consuetudine et contubernio uterentur, haereticorum dogmatum inventrices, pessimae propagatrices: quarum audacia non potuit prius ab Ecclesia compesci quam et ipsae, et ipsarum institutum a Clemente V. in Concilio Viennensi damnarentur. Nihil enim (ut Nonnemo ait) muliere sciola audacius. Unde Waldensis probatus auctor lib. 2. doctrin. Fidei art. 3. cap. 72. commemorat mulieres quasdam suo tempore Wiclefistarum haeresibus infectas eo tandem processisse, ut Londini super sellas elevatas in congregationibus virorum publice legerent et docerent scripturas.

vide c. cum de quibusdam Clement. de relig. dom. et c. ad nostrum Clem. de haeretic.

Quinto. In more positum habent hae Jesuitissae, ut Urbes, et Provincias Regni non raro obeant; in domos nobiliorum Catholicorum se insinuent, habitum crebro commutent aliquando incedentes, ut primaria aliqua Domina in rhedis seu curribus cum comitatu non contemnendo aliquando e contrario tanquam vulgares quaedam famulae, aut viliores e plebe mulierculae solae, et pedites. Quam vero periculosum multisque scandalis obnoxium sit, ut mulieres domos in hunc modum circumeant, huc atque illuc pro libitu excurrant et propriis quibus ducuntur desiderijs (ut de similibus Apostolus observat) modo publice, modo privatim, modo hic, illic, modo ubi; modo in Urbibus modo in Provincijs modo plures simul, modo solae inter homines saecula.

1. Tim. 3.

304v

nes, et nonnullo quoque malis moribus affectas conuertenti
quisque facile uideret. His addo, quod familiare ipsis sit
e Belgio in Angliam, et ex Anglia rursus in Belgium etc.
quolibet natu transmittere, atque ita ultro citroque commeando
muliebrem modestiam multorum obsequijs obiectare.

Sexto Religioni Catholicae magno opprobrio sunt atque dedecori
usque adeo ut non solum haeretici (quibus ista in publicis declama-
tionibus multos ludos faciunt) fidem catholicam hoc nomine
calumnientur, quasi non aliter quam per istas et famulas
mulierculas supportari aut propagari possit; sed etiam
inter grauissimos catholicos huiusmodi fabricam ualde
male audiat, a quibus illae Alumnae, nunc Moniales
Cursatrices quod huc atque illuc obequitent, nunc Apo-
stolicae Viragines familiari scommate nuncupantur, tan-
tumque in communi consuetudine audaciam et temeritatem
ostentare, praeseferre, rerumque mundanarum deprehendun-
tur, ut multi ipsis non tantum haeretici sed et magno scan-
dalo plerumque sint cum uideant plurima ab ijs fieri, ac di-
cium sequi tam incongrua, cum Religionis catholicae inter
medias haereses laborantis importuna atque incommoda, quibus
1. Timot. 5. proinde Apostolica illa sigillatio aptissime conuenire uideatur.
Otiosae discunt circuire domos, non solum otiosae sed et uer-
bosae et curiosae loquentes, quae non oportet.

Septimo obseruata sunt nonnulla ex his feminis Jesuitissis pu-
blice in hunc modum se gerendo pessima fama laborare
et ob petulantiam et impudicitiam plurimas in ore uersari
cum maximo catholicae Religionis scandalo atque dedecore.

Quibus

~~308~~ ~~776~~ 440

Quibus omnibus rite consideratis merito demiramur quid sibi uelint
Patres Societatis, dum seipsos harum mulierculatum moderatores
patronos ac uindices asserunt, ceteris omnibus Regularibus, Sa-
cerdotibus, et Laycis ipsis reclamantibus, et huiusmodi institutum
ueluti multis periculis scandalisque obnoxium undequaque impro-
bantibus. Satis enim constat Patribus Jesuitis ex ipsorum
regulis praecipuis expresse interdictum esse, ne se mulie-
rum quarumcumque moderamini implicent, uel immiscea-
nt: et tamen ijsdem ita utuntur Jesuitissae, in totius uitae
rerumque suarum cum in Anglia, cum extra Angliam
administratione, ut piaculum ipsis uideatur, alium quem-
cumque Sacerdotem, praeter Jesuitam, uel ad conscientia-
e secreta in sacramento Poenitentiae percipienda ad-
mittere.

His adijci posset, quod genti nostrae sanctimoniales Louanij
et Grauelingae in Belgio in Monastica disciplina sancte con-
uersantes, saepius conquestae sint complures nobiles uirgines ex
Anglia traijcientes animo sua Monasteria ingrediendi, seque
uitae religiosae addicendi, ab istis Jesuitissis ad suum Insti-
tutum, ueluti regulam maioris, uel certe haud inferioris
perfectionis, uersutissime abductas fuisse. Sed haec ad Jesuitissa-
rum nostratium institutum, et normam uitae dignoscen-
dam sufficient. Suae Sanctitati erit de ijsdem constituere
quemadmodum Spiritui Sancto, atque ipsi uisum fuerit.

Joannes Colletonus sustinens uices Archipresbiteri Angliae
Joannes Michellus Assistens
Joannes Bosuile Assistens

Edoardus

Edwardus Bennetus Assistens
Zacharias Arrolgyus Assistens
Joannes Jacksonus Assistens
Josephus Harrisus Assistens
Rogerus Stricklandus Assistens
Richardus Burtonus Assistens
Humphredus Hammonus Assistens